





Q. D. B. V.
DISPUTATIO POSTERIOR,
DE
OCCULTATIONE
VERITATIS
LICITA,

Quam
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. FRIDERICO AVGVSTO,
PRINCIPE REGIO ET ELECTOR.
SAX. HÆREDE,

ERVDITORVM EXAMINI SVBIICIVNT
PRÆSES
M. SIGISMVNDVS CLEEMANNVS,
GVBENA - LVSATVS,
ET
RESPONDENS
CHRISTIANVS DIETERICVS VVESTPHALVS,
STORCOV. LVSATVS.

AD. D. ~~IX~~ ¹⁷ MAL. ANNO C. MDCCCV.
H. L. Q. C.

WITTEBERGÆ,
Literis SCHVLZIANIS, Acad. Typogr.



DISPUTATIO POSTERIOR
DE
OCCULTATIONE
VERITATIS
LICITA

RECTORIS MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPIS AC DOMINI
DN. FRIDERICO AUGUSTO
PRINCIPIS REGIO ET ELECTORIS

SAX. HERED.
EXCITATIONIS ACADEMIAE
M. SIGISMUNDUS GLEMANNUS
GUBERNA. LVSATVS

RESPONDENS
CHRISTIANVS PETERCVS WESTPHALVS
STODOR. LVSATVS
M. D. CCLXXII. ANNO C. MOCCCLXXII.
F. L. G.

LICENS SCHULMANNI, SESSL. TYPE





I.

Argumenti, circa quod versamur, ubertas atque ordo in ea, quam præmisimus, Disputatione indicatus, hoc scribendi negotium à nobis exigunt. Laborem enim proposito omni ex parte non sumus perfuncti: inde adhuc nonnulla supersunt, in quibus enodandis exerceri animo noster potest. Equidem nos ii non sumus, qui totum hoc negotium labore nostro penitus exhaurire, spatiumque, quod longissime patet, & passus ampliores exposcit, emetiri queamus. Faciemus autem, quantum poterimus, ut persequamur ea, quæ incepti lex à nobis postulat. Nec mirum cuidam videri debet, quod in uno eodemque argumento hæreamus, nec ad alia applicuerimus animum. Quod si enim is operam suam oleumque perdidisse nequaquam creditur, qui ea, quæ pulchra sunt, repetitis vicibus contuetur, unamque & immutatam rei faciem considerationi suæ exponit: quanto magis nos excusari poterimus, qui quidem in unius ejusdemque; thematis consideratione oculos habemus defixos. ita tamen, ut, relictis iis, quæ in superioribus pertractata sunt, in præsentia ea indagemus atque explicemus, quæ nondum à nobis occupata fuerunt. Versatus quippe omnis noster labor hæcenus est circa occultationem veritatis, & quod actus hic licite nonnunquam fieri queat, à nobis assertum fuit. Explicatis deinde ad evitandam obscuritatem vocibus, eos tetigimus, qui propter scopum inhonestum

stum ad recondendam veritatem animum inducunt, & quorum quidem causæ hic nolumus velificari. Determinavimus deinde subjecta cæterasque circumstantias, quarum rationem diligentem habere debet veritatis occultator. Utque eo melius rem pertractaremus, actus negativos, qui circa occultationem veritatis suam exerunt operam, a positivis separandos esse sumus arbitrati. Et cum illa, quæ circa priores instituebatur, inquisitio in debitam peculiaris dissertationis magnitudinem excreverit, nihil amplius jam erit reliquum, quam ut telam semel inceptam in præfens pertexamus, & quæ circa actus positivos observanda erunt, ubi videlicet veritas etiam per prolata falsa occultatur, hic adjiciamus.

II.

Enim vero si duntaxat in auctoribus quibusdam, eorundemque assertionibus, subsistere, nec in ipsam rei naturam descendere volupe nobis fuisset, aliam plane faciem induere debuisset totum, quod persequimur, negotium, omnisque labor noster hic frustra impenderetur. Non paucis enim ex antiquiori ætate vox falsitatis admodum invisa & quasi sudes in oculis erat, quod vel ex unico Augustini effato liquere potest. *Siquidem omne is mendacium, etiam illud, quod vulgo jocosum vocatur, pro peccato habet, & ne quidem falsum dicendum esse putat, ob salvandum proximi animum ab æterna damnatione, vid. Lib. poster. de mendacio.* Et hujus vestigia plurimi ex scholasticorum cætu hoc in passu premunt. Inter novos ipse quoque Heereboordius, acutissimus alioqui philosophus, ab horum sententia parum recessisse videtur, dum veritatem quidem nonnunquam occultari licite posse putat, sed, ut tacendo solum id fiat, præcipit. Alterum vero occultandæ veritatis actum, & qui per enunciationem falsi fit, plane pro illicito habet, atque a toto hoc negotio arceat, uti ex Colleg. Ethic. Disp. 2. §. 6. constat.

III.

Ingens certe Scriptorum numerus est, quorum sententia nostra assertioni e diametro contrariatur. Omne enim falsiloquium pro mendaciorum proprie ira dicto & re mala habent. Verum enim vero, non adeo eruditorum testimoniis sumus destituti, quo minus & nobis de quorundam consensu gratulari possimus. Origines enim, Clemens, Tertullianus, Chrysostomus, Lactantius, Hieronymus & longe plures, teste Grotio, à nostris partibus stant, quorum effata hanc in rem facientia hic apponere, brevitatis studio inducti, superfedemus. Ut sicco, quod ajunt, pede præteream scholas philosophorum tum praeceptorum tum & recentiorum, quorum certe multi calculum suum addunt sententiæ nostræ. De Stoicis id nobis constare potest ex illo, quod ex Stobæi Eclogis adducit *Lipsius lib. 3. Manuduct. Dissert. 9: non in eo mendacium esse dicunt, ut aliquis falsum dicat, sed cum quis dolo & fallendi proximos animo facit. Quin imo ipse Augustinus non adeo adversariorum argumenta vilipendit, vel totum hoc negotium expeditum esse censet, ut potius totum de falsiloquiis & mendaciis argumentum pro magna questione, pro latebrosa tractatione, pro disputatione inter doctos alternante in scriptis suis passim agnoscat.*

IV.

Sed animus jam fert ulterius progredi, & missis auctoritatibus, in rei veritatem descendere profundius. Nihil autem nobis obstare videretur, quo minus & aliquando falsa proferre liceat, cum videlicet gloria Dei non læditur, & tamen vel mea vel proximi salus promoveri potest. Hac igitur restrictione omnis peccati atque vitiositatis macula, quam multis modis assertioni nostræ affricare student secus sentientes, eluitur. Nullum enim illi naturæ præceptum, quod ea ratione evertatur, apposite demonstrare nobis ac adducere queunt. Quam

diu autem istud fieri non poterit, certe nemo actionem malam hanc esse existimabit, quia nullam, hic disconvenientiam & repugnantiam cum lege deprehendimus. Ut cæteras ne attingam leges, præcepto de non lædendo proximo sua servatur auctoritas, nec cultui divino, qui itidem nobis præceptus est, aliquid derogatur. Verum ad gloriam Dei primo respiciendum est: aliqui dum nobis vel proximo adesse cupimus auxilio nostro, alterius auctoritati damnum inferretur, cui tamen arctiori vinculo obstricti esse debemus; Et, dum benignitatis laudem in proximum atque cautæ circumspectionis encomium adversus nos metiplos promereri conaremur, impietatis in Deum admissæ evaderemus rei.

V.

Hoc igitur ex fundamento in numerum falsa licite profitentium referri non merentur, qui, ut commodis studeant propriis, falsam & a corde alienam religionem profitentur. Nec destituitur hæc assertio, quamvis pessima sit, suis defensoribus, inter quos *Adrianus, postmodum Præsul Romanus*, complicum suorum sententiam nobis declarat in *4. sent. quest. 1. de Baptismo* dicens: *Quæcunque ratione fidem propriam celare etiam per simulationem quandam falsæ religionis licitum esse.* Ita quidem, quod concedimus, consultit utilitati suæ (si modo res, cum certissima favoris divini amissione conjuncta, utilitatis nomen meretur) ejusmodi verum; Ast alterum est suppeditata restrictione membrum hic merito desideramus, gloriæ divinæ videlicet amplificationem. Ea enim tali simulatione evertitur, nec illud veritatis occultatio sed abnegatio est. Plura & solidiora ea de re qui cupit, adeat *B. Meisneri Problem. Etic. pag. m. 438.* Quapropter & Justus Lipsius, vir alioquin incomparabilis, omnium in se censuras atque odium concitavit, modo huic modo alii cætui gentis sacræ se affocians. Hinc Thomas Sagittarius in manes viri hujus

neu-

neutrquam nobis videtur iniquior, qui eundem in peculiari tractatu 1608. edito ut alterum Protheum nobis depingit. Quæ unde hauserint atq; interpolata deinceps sua fecerint Pontificii forte ex antiquiori historia demonstrari poterit. Elcesaitarum enim, quod hæreticorum genus in Arabia circa A. C. 247. turbas dedit, error hic erat: licitum scilicet esse, tempore persecutionis fidem ore negare, modo in corde fervetur, prouti Augustinus Libr. ad Q. V. D. hæres. 32. testis nobis est. Unde Originem eamob rem nacti sunt adversarium in Comment. ad Plalmos; Confer. Scaliger in Elencho trihæres. cap. 27. & Magnif. D. Ittigius de Hæresiarhis pag. 239.

VI.

Et habent profecto Pontificii circa hoc argumentum multa, in quibus sinceritatem Christiano homine dignam merito desideramus. Exemplo nobis esse poterit absurda illa & ab Angelo de Clavasio imprimis excogitata & in Jesuitarum seminariis proposita doctrina de Reservationibus mentalibus, quas non modo in quovis sermone, sed & in ipsis assertionibus juratis usurpari posse existimabant, siquidem *Thome Sanchezii Jesuitæ Cordubensis*, verba clara sunt in opere *moralis lib. 3. n. 15. Justas esse utendi amphiboliis causas, quoties id necessarium est aut utile ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, imo si quis vel solus vel coram aliis interrogatus seu propria sponte, seu recreationis causa seu quovis sine alio juret.* Adversum quos ut jam pugnemus, non est, cum fecerint id jam olim complures alii, inter quos *B. Meisnerum in Probl. Ethic. sect. 1. c. 7. m. 3. Amesium de Conscientia lib. 5. c. 53. §. 22. Et Rivetum in Explicat. Decal. recensuisse hic suffecerit.* Nec difficile foret impietatem hujus dogmatis evincere, quippe per quod sacra Magistratus auctoritas indirecte evertitur, & perditissimis hominibus arma ac media subministrantur, quibus



bus inquirentis iudicis quaestiones eludere, & tamen conscientiam à moribus & vellicationibus liberam conservare sibi persuadent. Hinc etiam nonnullos vel ex ipsis Pontificiis hujus dogmatis suppuduit, ut diterte in contrariam abierint sententiam; id quod vel ex unico *Azorio Complutensi, Patre Sodalitatis Ignatiana adducto*, liquere potest, qui inter alia demum adjicit: *Nihil iam falsum esse potest, quod non queat ab omni mendacio liberari, aliquid arbitrari nostro tacitum si mente nostra retineamus.* Sed hæc *ὡς ἐν παροίῳ* dicta sunt, quoniam in priori disputatione potius locum sibi vindicare debuissent.

VII.

Interea si Deo suus maneat honor, si leges eundem respicientes nihil patiantur detrimenti, proximi vel meis rebus studere quid vetat etiam falsa pronunciando? Hæc enim firmiter observentur, officiis nostris omnino satisfactum erit, cum nullum ulterius detur objectum, quod lædi & violari possit. Sic si remedium alioqui tum proximi animo tum corpori aliter afferre nequeo, ad talem veritatis occultationem, etiam in falsis proferendis occupatam, confugere omnino licebit.

VIII.

Quapropter illi sine culpa eloquuntur falsa, qui inter infantes, vel rudiores constituti nudam rei apprehendendæ veritatem reticent, utilesque doctrinas sub jucunda fabularum promulside iisdem propinant. Illud enim si fit, non modo felicius ad scopum perveniunt, auditorumque imbecillitati consulunt, sed & ita omne tædium, quod forte apud teneras mentes per nudam atque aliquando difficiliorem rei veritatem exoriri poterat, ab iisdem avertitur. Quam ob rem quoque *Æsopi fabulas* invidendis fere elogiis ornatas deprehendes apud *Philoftratum de vita Apollonii lib. 5.*

IX.

Nec illis, qui in Scholis Acroamaticis auditores suos ænigmatibus aliisque ambiguis sermonibus exercebant, obrepudiatam veritatem dicam scribere licebit. Non enim istis æque ac deinceps Eristicis, ut nocerent, sed ut potius ad interiora sapientiæ sacraria perducerent suos, animus erat. Et fallor an non ea propter Pythagoras quodammodo excusari possit, falso quidem asserens meremplychosin, eo tamen animo, ut, quod alias per veritatem in animis sectatorum difficulter effecisset, per falsam de transmigratione animarum assertionem obtinere posset. Quamvis & adhuc alii illum ab accusationibus, quibus alias toties ob assertum hoc dogma oneratur, hunc in modum vindicare conentur: voluisse videlicet virum, qui veritatem in tradendis præceptis moralibus sub involucris ænigmatum apologorumque, occultare consuevisset, per transmigrationem animarum adumbrare auditoribus suis mutationem hominis vel in deteriorem vel in meliorem statum. vid. *Jamblichus in vita Pythagoræ, Rhodiginus lib. 9. c. 21. lect. antiqu. & Cl. Omeisus in Ethic. Pythagor.* Quem morem in primis apud Syros viguisse testatur *Zieglerus in notis ad Gr.* scribens: Eos ad omnem sermonem fabulas addidisse, ut per similitudinem teneretur a vulgo, quod simplici præcepto teneri non possit.

X.

Quemadmodum autem præter rei male gestæ culpam falsa nonnunquam ad erudiendum alterius animum proferuntur, sic & corpori ejusdem medicinam afferre earatione licite possum, quoties alter a morbis, liberarialiter nequit. Sic si ægroto, omnem alias medicinam horrenti, potum rebus medicis permistum, porrigo, tum sane sine honestatis læsione fallere possum ægroti tædium, asserens, ni-

B

hil

nihil præter liquorem ipsi gratum vasi inesse, quod medica-
manus paraverit. Sic qui amenti & furioso nonnulla perſua-
det, quæ vel ad ipsius emendationem vel rei noxiæ impedi-
mentum vergunt: veritatem quidem occultat, falsumque di-
cit, sed eo successu, ut exinde laudem commiserationis pru-
dentiaque reportet. Quum enim infelix iste & miser propter
mentis impotentiam eum in statum redactus sit, ubi sibi met-
ipsi præesse, resque suas ad rectæ rationis normam dirigere non
possit, proximus nequiquam intempestive suam inter-
ponit operam, si quando ipsi auctor est, ut ad meliora se appli-
cet, & naturæ rationique convenienter agat. Quinimo, si quic-
quam noxiæ admittatur ab ejusmodi vesano homine, in effe-
ctum hunc sane otiosus alienæ imprudentiæ spectator moraliter
influeret. Non enim actionem impedire, cum tamen
possis ac debeas, ad causam moralem constituendam sufficit.
Quod autem potuerit, illud tali in casu velut certum substerni-
tur. Quod vero debuerit, ni aliud quicquam, vel ipsa lex hu-
manitatis eundem docere potuisset. Et ita omnino falsum
dicere licet, quando ex ficto sermone in proximum derivari
potest aliquid commodi & boni.

XI.

Licebit vero idem etiam, quando ea ratione à proximo in-
juria & malum aliquod depelli atque arceri potest. Sic quis
mihi vitio vertere, vel fraudulentæ stigmæ inurere veller,
quando hostem sciëntem in insontes circumvenirem, ejus-
que percontationem fallerem, dicendo: me fugitivum nun-
quam vidisse; Imo si fictis sermonibus furibundum tamdiu
detinerem, usque dum alter fuga elabi, eaque vitæ suæ consulere
potuisset. Geminam deinceps utilitatem, quæ tum in furio-
sum in vasorem, tum & in illum, cui mortem intentabat, redun-
daret, ex tali veritatis occultatione enasci in proapatulo est. Nisi
enim à iudice Politico intermissi, quod tamen tentaverat, sce-
leris

leris absolvatur ejusmodi perniciæ alienæ machinator, faltem coram interiori conscientiæ tribunali mitius experiretur examen, quam si ipsa sceleris executio conatum excepiſſet. Quantam vero utilitatem ob conſervatam vitam alter nactus fit, res ipſa loquitur. Haberet enim & is omnino, quod cœlo, & quod alterius auxilio imputaret.

XII.

Ut igitur eorum ſententiæ ſubſcriberem, qui prorfus & univerſim omne falſiloquium, etiam propter evitandum periculum vitæ adhibitum, damnant, a me huc uſque impetrare haud potui. Et aliquanto rigidior mihi ea de re mens *Wendelini* videtur, dum in ſua *Philof. mor. c. 31. l. 1. §. 12.* inquit: *ſtultus eſt, qui periculum à ſe vel ab alio conatur avertere, ſi vel mortis ſit periculum.* Imo ſtultior, qui hæc talia ſine ulteriori atque uberiori diſquiſitione admittat. Notandum enim primo, quod ipſi *Wendelino* promiſcue uſurpentur vocabula mendacii atque falſiloquii, eademque pro Synonymis habeat, ſed præter rei veritatem; cum vocabulum falſiloquii ſane latius pateat mendacio. Deinde & id obſervemus, loqui eundem hic de tali actu, cui præter falſiloquentiam nihil mali ex alio quodam capite ineſt, uti id ex antecedentibus *ὀφθαλμοφανερῶς* patet. Nunc autem negamus, tale falſiloquium, quod nemini nocet, mendacii nomine recte inſigniri; adeoque attributum ejusdem ſortiri debere. Multo potius in ſe ipſum ſuumque creatorem peccat, qui mediis, quæ ad conſervandam vitam licite adhibentur, uti non vult; & *ἀνοχηρίας* negative admiſſæ crimine abſolvi nequit. Nec recte hic *πολυθρύλητον* ad excuſandum errorem adducitur, non eſſe videlicet faciendâ mala, nec adeo proferenda falſa, ut inde eveniant bona. Vti enim plurimi annotarunt, quod axiomâ hoc propter diverſam mali naturam & ſignificationem, quæ vel ex libellis metaphyſicis conſtat, omni in loco non valeat: ita & illud hic loci male & intempèſtively adhibetur. Præterea velut certum præ-

supponunt illud, quod adhuc à nobis vocatur in dubium, quod-
que argumentis ad silentium usque urgentibus evictum dare
neutiquam potuere.

XIII.

Multo minus consilium nobis arridet, cui tali in casu secu-
re obtemperari possit, quod Cl. Ifendoorn in Ethicis suis p. 359.
nobis proponit. Postquam enim illud, quando falsiloquio
præservamus furibundum à peccato & alterum à morte, pro
malo culpæ adeoque non eligibili & pro medio illegitimo ha-
buit, tandem addit, mitigandum potius & flectendum alia ra-
tione esse irati animum. Verum enimvero cum certo nobis
constare haud possit, an non operam in intercedendo omnem
perdere queamus, animumque irati verbis placare incassum
studeamus: Remedium potius adhibendum erit tutius, & de
cujus effectu probabiliorē fovere possumus opinionem. Pa-
rum itaque conscientia, in quo acquiescere posset, haberet, si
aliquid periculi tandem redundaverit in innocentem. Se-
ipsam enim, suamque negligentiam accusaret, quod, cum
adhuc alia servandi fugitivum media adfuerint, non certiora
adhibuisset.

XIV.

Falsa porro proferre licebit, si quando per jocum & no-
stras & audientium curas relaxare conamur. Videndum enim
omnino est, ne joci, qui inter virtutes seu objecta virtutum lo-
cum obtinuerunt, ex earundem choro iterum exterminentur.
Quis ergo adeo serius & austerus esse velit, ut universe omnes
actus circa eos versantes atro carbone notare velit? Ast dum
in jocis & per eosdem veritatem involvendam & tegendam
asserimus, nihil præsidii ex eo fluit in illos, qui cuivis fraudu-
lentia nomen jocosum prætexere possunt. Honestum enim
eundem esse volumus, & sic gloriae divinæ per illum nihil de-
trahitur. Et licet, dum inter jocandum animo indulgemus,
sepo-

seponi queant tantisper. seria, quæ districtum alias tenere
animum; Tantum tamen jocis nostris dare non debe-
mus, ut etiam numinis divini legumque ab illo sancitarum
obliviscamur. Multo minus gloria divina materiem jocan-
di suppeditare nobis debet. Ipsa enim excelsius obje-
ctum est, quam ut circa illud jocus versari debeat, nec un-
quam ejusdem mentio fieri debet, nisi cum veneratione
in pectore nostro suborta. Innoxius porro esse debet jo-
cus, ne ex eo aliquid damni sentiat proximus. Si enim al-
terius res per jocos sublevari, si illi porro hominis vires la-
boribus fractas sustentare atque reficere debent, certe in
ejusdem perniciem dirigendi non sunt. Alias sine suo ex-
ciderent, cujus tamen respectu inter alia boni naturam tu-
entur. Absurdum insuper esset, à molestiis atque solici-
tudine vacuum velle reddere animum alterius, & tamen
per irrisiones novum tristitiæ argumentum eidem suppe-
ditare. Hæc itaque duo sunt, ad quæ plerumque in ejus-
modi veritatis occultatione, quæ jocando absolvitur, oculi
verti debent. Qui vero aliquanto plenius joci honesti na-
turam cognoscere cupit, illum ad Heiderum in Eth. p. 167.
& ad praxin jocandi Francofurti 1602. editam ablegamus.
Quis ergo non animadvertit, eo in negotio veritatem recte
occultari, si vel maxime aliquid falsi immisceatur sermo-
nibus nostris?

XV.

Cum igitur è supra allatis pateat, quod non statim
omne falso loquium cum recta natura atque honestate pu-
gnet, hinc, quod divisio mendacii in officiosum & jocosum
parum firmo gaudeat fundamento, elucet, cum menda-
cium jocosum & officiosum proprie mendacia non sint.
Omne enim mendacium inter vitia numerari ob id mere-
tur, quod cum lege naturæ pugnet, ejusque principia labe-
factet.

B 3

factet.

factet. Si vero dicendum quod res est, *πρωτον ψευδος* atque fons, ex quo tot errores propullularant, ex eo arcessendus venit, quod inadæquatæ definitioni, & quæ mendacii naturam non exhaurit, inhæserint auctores. Viderunt id nonnulli & obseruarunt, quod definitio mendacii in scholis huc usq; obtinens omnibus numeris non sit absoluta. Ne igitur definitum in mendacio, uti hætenus factum, latius pateret quam definitio, hinc & eandem varii varie emendarunt, ita tamen, ut in re consentiant, animumque nocendi mendacio pro vero fundamento substernant. Pufendorfiius, vir summus & qui secundum plurimorum calculum totum hoc negotium præ cæteris accurate tractat, mendacii naturam ita exprimit, quod videlicet mendacium vocari debeat illud, ubi signa aut verba aliam præferunt sententiam animi nostri, quam quæ vera erat, cum tamen hanc ipsam is, ad quem signa illa diriguntur, intelligendi & iudicandi jus haberet, & nobis obligatio incumberet faciendi, ut ille nostram sententiam intelligeret Lib. 4. de J. N. & G. c. 1. §. 8. In hujus etiam sententiam ab it Nobilissimus Praschius, mendaciique imperfectam definitionem à labe & defectu liberat, dicens: Mendacium esse dolum noxium in verbis falsis. Quod si ergo jocos vel etiam falsiloquia, propter proximi salutem adhibita, exactius conferamus cum definitionibus in medium jam productis, apertam discrepantiam invenimus; Et quod quædam mendacii requisita non cadant in jocos, ad oculum patet. Si ergo definitio ipsis non convenit, & ipsum definitum eisdem competere atque tribui non potest.

XVI.

Nec argumento, quo Heereboordius jocos ad mendacia relegare molitur, aliquid roboris inest. Nimirum in Exercit. Ethic, p. 220. asserit, mendacium jocosum ex in culpa

culpa haud quaquam carere, quamvis non adhibeatur ad fallendum noxie. Ad vitiosam quippe ejusdem qualitatem sufficere autumat, quod adhibeatur ad fallendum. At probare & evincere prius debuisset, quod falsa dicere, respectu nullo ad circumstantias habito, & cum præcisione a fine atque intentione proferentis vitii naturam induat, adeoque tam invito mendacii nomine insigniri debeat. Nobis potius ea est sententia, omne illud, quod principiis naturalibus non adversatur, sed potius ex quo multa ad conservandam naturæ legem facientia fluunt, in se atque natura sua, nulla pravitate esse pollutum. Multa, quæ huc quoque pertinere videbantur, forent edisserenda, videlicet, quæ de Stratagematibus in bello per frequentibus apud Scriptores tum recentioris tum vetustioris ævi inveniuntur. Verendum autem maximopere est, ne, temporis & pagellarum angustia exclusis, persequi rem justo nobis non liceat. Quapropter ablegare L. B. volumus ad Polyæni & Jul. Frontini libros de Stratagematibus, in quibus magna exemplorum copia deprehendi potest. Non hic alienum à Scopo nostro est, commemorare lepidum prudensque Ducis Gvisii commentum, quo Carolum V. Imp. delusit, ejusque urbis Metensis capiundæ conatus retardavit. Quando in literis ad Regem Galliæ datis simulavit, eam urbis partem Carolum esse aggressum, qua esset munitissima, cui interceptarum literarum nuncio cum Carolus nimis temere credidisset, & aliam urbis partem armorum vi tentasset, infectis rebus recedere coactus est, votoque suo excidit plane urbis expugnandæ. Qua de re conferrri meretur vita Collignii, gallice scripta L. II. Atque ita labori nostro finem imponimus gratias agentes summas

DEO IMMORTALI.

Præ

Praestantissimo disputantium amicorum pari.

M. PETRUS JAENICHIUS,

Ord. Phil. Adj.

AD illum, quo estis, Clarissimi Disputantes, conjuncti, propinquiratis nexum, nihil accedere aut jucundius poterat aut laudabilius, quam, quae hodierna fit die, profesio etiam publica privatae industriae & mutui inter vos amoris. Praeclaras conjungitis operas, vestrisque ingeniis dignas, quando adversas vobis dissentientium rationes una refellere laboratis, & confutare. Vna eum surgitis locum, unde optima vos manet virtutis laus & eruditionis. Qua de re Venerandis Parentibus Vestris de ejusmodi gaudii usura, qua in praesens fruuntur, gratulandum maximopere est, & cognatorum amicorumve nemo erit, quin incredibili laetitia & voluptate afficiatur. Acerrimi enim in literis conatus nihil non praeclari de Vobis pollicentur, & tanquam bonae sementes in spem egregiam uberrimae mesis erigere omnes videntur. Ego, qui tum ob necessitudinis tum amicitiae vinculum in quandam gaudii partem venio, Deum supplex veneror, ut omnia coepta feliciter Vobis evenire sinat, tantoque majorem suae addat gratiae cumulum, quanto impensius prosperrimos rerum successus omnes Vobis apprecari videntur.

Dabam Vitembergae apud Saxonas, pridie Non.

Maji, Anno cto 19 ccv.

W. Henberg, Diss, 1705

ULB Halle

3

008 559 767





2. D. B. F.
DISPUTATIO POSTERIOR,
DE
OCCULTATIONE
VERITATIS
LICITA,

8
/

1705,
36

Quam
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DN. FRIDERICO
PRINCIPE REGI
SAX. H.

ERVDITORVM EX.
P. R.

M. SIGISMVNDV
GVBENA

RESP
CHRISTIANVS DIETE
STORCOV

AD. D. ~~1705~~ MAL.
H. L.

WITTE
Literis SCHVLZIA

